



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm**

**Capilla, Andrés de**

**Coloniae, 1607**

Quando hora auditur. Exercit. 82.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)



in hoc Manuali breuia quædam exercitia tradere in quibus tempore horarum Canoniarum, siue eas dicamus, siue audiamus, exercere possimus: quarum singulis vnâ de Passione Domini considerationem, & vnum beneficium, pro quo Deo gratias agamus, & vnâ virtutem quam à Deo postulemus cum eiusdem confessione, & oblationem quandam, sicut hucusque in hoc Manuali fecimus assignabimus.

*Quando horæ audiuntur.*

Exercit. 82.

*Cant. 5. Vox dilecti mei pulsantis.*

*Psal. 121. Letatus sum in his quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.*

*Psal. 117. Vox exultationis & spiritus in tabernaculis iustorum.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus, quod Deus nos vocet ad se laudandum, non suæ utilitatis causa, quia nostris laudibus & seruitiis non indiget, sed vt ipsum laudando animas nostras ditemus.

*Gratia*



*Gratiarum actio.*

**G**Ratias agemus Deo: quod à nobis laudari, & officium Angelorum à nobis in terris exerceri velit.

*Confusio.*

**P**udore suffundemur, cognoscentes nos indignos esse ad officium tam sublime, ad quod ne Angeli quidem sufficientes sunt: specialiter cum nos illum toties sacrilego ore nostro offenderimus, & labia nostra immundis sermonibus polluerimus.

*Petitio.*

**R**ogabimus Deum, pro affectu, deuotione & puritate cordis, vt dignè coram ipsius maiestate assistere, & laudes ipsius decantare possimus.

*Oblatio.*

**O**fferemus Deo voluntatem nostram & desiderium laudandi eum purè & ex toto corde: desiderabimusque habere puritatem Angelorum, & feruorem Seraphynorum, vt  
cum



eum perfectius laudare possimus.

A D M A T V T I N A S.

Exercitium 83

Matth. 26. *Vigilate & orate vt non intretis  
intentionem.*

Ioan. 18. *Iudas cum accepisset cohortem, &  
à Pontificibus & Phariseis ministros, ve-  
nit cum laternis & facibus & armis.*

Ibid. *Cohors & tribunus & ministri Iudaeo-  
rum comprehenderunt Iesum & ligauerunt  
eum & adduxerunt eum ad Annam pri-  
mum Et misit eum Annas ligatum ad Cai-  
pham Pontificem.*

*Consideratio.*

**C**ONSIDERABIMUS, Christum Re-  
demptorem nostrum nocte pas-  
sionis suae ad hortum Gethsemani cū  
discipulis suis exiuisse: vbi tertio Pa-  
trem orauit, atq; factus in agonia san-  
guinem sudauit. Præterea Iudam cū  
militibus armatis ad cōprehenden-  
dum Iesum venisse, quem ligatum ad  
Annam, & ab Anna ad Caiphā per-  
duxerunt, vbi plurima passus est.

*Gratiarum actio.*

**G**RATIAS agemus Deo, pro omnib.  
quæ illa nocte passus est; & pro